

THESES
EX UNIVERSA THEOLOGIA

Menti Doctoris Subtilis JOANNIS DUNS SCOTI conformatae, & in publica concertatione defensae

*Labaci in Ecclesia PP. Franciscanorum Divae Virgini in Caelos Assumptae Sacra
Anno Salutis MDCCL. Die Mensis Septembris*

à VV. PP. Athanasio Kautschitsch, & Norberto Paccasi Ord. Minorum Strictioris Observantiae
Ss. Theologiae Studentibus absolutis.

P R A E S I D E

P. F. HUGONE VODNIKG ejusdem Ordinis Ss. Theologiae Lectore generali.

Theologia viatorum sive Doctrina Sacra, nec scientia proprie talis, neque aliqua ex parte speculativa, neque Theologiae Dei & Beatorum veris scientiis subalternata pro objecto attributionis adorat Deum sub ratione Deitatis. 2. Existencia Dei à posteriori evidenter demonstrabilis, est praedicatum Dei essentialis; hinc 3. propositio ista, *Deus est*, per se nota est omni & soli intellectui terminos ejus rectè & clarè secundum propriam rationem concipienti. 4. Divina simplicitas distinctionem formalem Scotticam inter essentialiam, Attributa, & relationes Divinas versantem non excludit. 5. Deus perfectè cognoscit omnia possibilis in sua essentiali, non tamquam in specie expressa vel impressa, nec tamquam in causa creaturarum productiva, sed tamquam in objecto primario motivo prius cognito creaturas omnes eminenter continente. 6. Praevidet quoque Deus ab aeterno infallibiliter omnia futura contingentia libera, non tantum absoluta, verum etiam conditionata, 7. neutra tamen per scientiam mediam, 8. sed in decretis suis, quae respectu conditionatorum ex parte subjecti quidem absoluta sunt, conditionata verò ex parte objecti. 9. Creaturas omnes amat Deus, actuales quidem amore benevolentiae contingenter, possibilis verò amore simplicis complacentiae necessariò, liberè tamen libertate essentiali. 10. Omnia futura contingentia ab aeterno à Deo praedefinita sunt, etiam subtrata physica peccatorum, 11. non per Decretum antecedens Thomistarum, sed per concomitans Scoti affectus familiare. 12. Praedestinatio absoluta & efficax ad gloriam pro suo signo praesupponit merita, & reprobatio demerita jam praevisa. 13. Praeterea substantias relativas trium Personarum constitutivas datur in Deo etiam quarta absoluta Divinae Essentialis propria. 14. Divinae processiones non consistunt formaliter in actibus essentialibus intelligendi & volendi, sed actio productiva Verbi est dictio & productiva Spiritus S. spiratio activa. 15. Relationes originis secundum suum esse formale, prout ab Essentiali praescindunt, nullam formaliter perfectionem simpliciter simplicem, sed neque imperfectionem ullam includunt. 16. Verbum ex cognitione creaturarum possibilem, actualium aut futurarum non procedit, nec Spiritus Sanctus ex earum amore. 17. Spiritus Sanctus ut ab uno principio unòque Spiratore à Patre Filioque procedit. 18. Ad hoc tamen evincendum illa ratio apta non est: Quod si à Patre solo procederet, inter ipsum & Filium realis personalis distinctio ab intrinseco formaliter tolleretur; quoniam haec sequela non subsistit. 19. Oculus corporeus non potest, potest autem intellectus creatus elevari ad claram & intuitivam Dei visionem, non tantum per lumen gloriae ipsi intrinsece communicatum, verum etiam per extrinsecum concursum Dei specialem: 20. quò obtento intellectus perfectior ceteris paribus perfectiorem elicit visionem. 21. Non repugnat species impressa Divinam Essentialiam clarè representans: quae tamen ad causandam intuitivam ejusdem cognitionem non est idonea. 22. Angeli non ante mundi corporei creationem, sed primo die cum, & probabiliter in caelo empyreo creati, nullam compositionem essentiali physicam ex quacunque materia, bene verò metaphysicam admittunt. 23. Non repugnant plures species sub eodem genere substantiae spiritalis, nec plura individua sub eadem specie: 24. Plurimae species intelligibiles fuerunt Angelis in ipso creationis primordio infusae, non tamen omnium plane objectorum: neque in ipsis possibile est species universalis aut infinita, aut plura disparata objecta distinctè & adaequatè representans. 25. De moderna providentia nec sua invicem nec hominum secreta intueri queunt Angeli, id tamen naturalem eorum vim non transcenderet, nisi ipsis suum ad id concursum Deus denegaret. 26. Apostatae Angeli in secunda morula status viae praevicari sunt, potuerunt autem absolute peccare etiam in primo instanti creationis suae. 27. Primum eorum peccatum philautia fuit, ex quo reliqua scelera suo ordine pullulaverunt, ob quae in ignem infernalem detrusi, ibidem in malo obstinati irreparabiliter permanent: quae tamen obstinatio non ex intrinseca voluntatis inflexibilitate, sed ex defectu gratiae ortum ducit. 28. Lapsus Adae liberum arbitrium non sustulit humanae voluntati, sed id in ipsa etiamnum permanet tam quoad exercitium quam specificationem, etsi voluntas supponatur esse in actuali operatione. 29. Actus humanus externus distincta ab actu

interno bonitate vel malitia decorat vel sedat operantem. 30. Potest dari pura omisso libera, sicut & actus humanus indifferens in individuo. 31. Peccatum non est, nisi sit contra aliquam legem, & consistit formaliter in privatione rectitudinis debitae inesse actu, sicut & quae specificam rationem & distinctionem desumit à rectitudine virtutis oppositae. 32. Non omnia peccata paria sunt in gravitate, & mortale à veniali per id à priori differt, quod mortale legi graviter, veniale verò leviter duntaxat obliganti adversetur; neutrum tamen sine in ratione malitiae, sive demeriti, sive offensae est infinitum. 33. Veniale peccatum mortali sociatum poenarum aeternitate nihilominus in inferno non muldatur. 34. In absentia gratiae sanctificantis potest adhuc homo opus aliquod moraliter bonum elicere, neque omnia opera peccatoris etiam infidelis sunt peccata: omnia tamen sterilia sunt & infructuosa, nec meritoria de condigno vitae aeternae. 35. Gratia, qua justificantur impij, non est formaliter ipse Spiritus Sanctus, neque justitia Christi imputata hominibus, sed est forma intrinseca & permanentem inhaerens animae justae. 36. quae prout de moderna providentia peccatum expellit, posset tamen cum ipso stare de potentia extraordinaria in ratione qualitatis. 37. Merita per peccatum mortificata eò delecto reviviscunt. 38. Non tantum possibile, sed & conveniens fuit Verbum Divinum incarnari, non tamen fuit absolute & simpliciter sed moraliter duntaxat necessarium etià supposito lapsu humani generis, & decreto de eodè reparando. 39. Verumtamen vi praesentis decreti facta fuisset Incarnatio, etsi Adam praevicarius non fuisset. 40. Dependenciam ac unionem naturae creatae, quam modò terminat Personalitas Verbi, immediatè terminare poterat substantia absoluta. 41. Non poterat una natura immediatè assumi à tribus Personis, bene verò ab una Persona plures naturae. 42. Meritum Christi non fuit simpliciter & intrinsece, sed tantum secundum quid & extrinsece infinitum. 43. Tres habitus virtutum theologiarum fuerant primis parentibus in vitae exordio infusi: eos omnes amittunt damnati, in Ecclesia purgante remanent omnes, Ecclesia verò triumphans retento habitu charitatis fidem & spem sibi in melius committat amplius non exigit. 44. Objectum formale Fidei strictè sumptum, sicut & ultimum resolutorium formale ejusdem est sola Divina veritas tam in cognoscendo quam dicendo, non verò obscuritas aut revelatio passiva. 45. Propositio theologica, sive ex duabus revelatis, sive una revelata altera evidenti deducta, apta est, ut assensus circa ipsam fides Divina esse possit, non tamen erit talis, dum habuerit rationem conclusionis. 46. SS. D. N. Papam Benedictum XIV. esse verum Christi Vicarium & D. Petri Successorem de fide credendum est. 47. Si cuiquam damnatio certò absolute futura à Deo revelaretur etiam ob peccata merè futura, is sperare amplius nec teneretur, nec posset: Divinam tamen misericordiam aut beatitudinem impune non contemneret. 48. Nequit dari Dominium duorum insolitum. 49. Non licet Judici privatam scientiam sibi certò notum innocentem condemnare, quamquam reus in judicio probaretur. 50. Sacramenta septem sunt à Christo instituta, causantia gratiam ex opere operato non physice sed moraliter. 51. Eorum minister ordinarius est solus homo viator, extraordinarius verò quicumque etiam Angelus sive bonus sive malus Deo annuente esse posset. 52. Baptismus per immersionem collatus valorem non omittit, licet inde mors naturalis baptizati consequatur. 53. Invitis parentibus licet baptizantur infantes infidelium Christiano Principi subditorum. 54. Ss. Eucharistiae Sacramentum nunc in ultima coena à Christo institutum, absolute à Deo institui potuisset ante factam in utero Virginis Incarnationem. 55. In forma consecrationis pronomen *Hoc* stat substantivè, & secundum rem quidem indicat Corpus Christi, in modo verò significandi significat aliquod singulare entis. 56. Aqua duntaxat convertitur in Sanguinem Christi supposita priori ejusdem conversione in vinum. 57. Contritio, ut perfectae virtutis poenitentiae vim habeat, detestari debet peccatum super omnia mala etiam poenae aeternae, sed appetitivè tantum non intensivè. 58. Forma Sacramenti Poenitentiae in illis verbis, *Absolve te*, essentialiter consistit. 59. Non potest dari casus, quo hoc Sacramentum validum sit & informè. 60. Catholicus in vitae Epilogo constitutus, etsi ob sensuum defectionem nullum petita absolutionis signum dare adverte-retur, sacramentaliter cum conditionis cautela est absolvendus.

O. A. M. D. G.

THESE
EX UNIVERSA THEOLOGIA

in publico concilio habita
in Collegio S. Marci
a V. P. Alberto ...
et Theologiae ...

THESE ...

Faint, illegible text on the left side of the top page.



Faint, illegible text on the right side of the top page.

Faint, illegible text on the left side of the bottom page.



Faint, illegible text on the right side of the bottom page.